

1
6
516







MEDICINAM PRACTICAM NON SATIS ÆSTIMARI.

ORATIO

Habita in Archi-Lyceo Patauino, die 16. Nouembris, 1683.

A CAROLO PATINO,

EQVITE D. MARCI, DOCT. MED. PARIS. PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE.



VENETIIS, MDCLXXXIII.

Typis Io: Francisci Valuasensis,

Superiorum permissu.

16

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. HIERONYMO ASCANIO IVSTINIANI,

Academiæ Patauinæ Moderatori,

CAROLVS PATINVS.



Anc ego Orationem lubentissimè Tibi offero, neque an Tibi offerenda sit vel tantillum hæsi, Illustriss. & Excellentiss. Domine. Quale sit huius argumentum, Tu probè nosti, qui mihi illud præbuisti, eademque opera, amplissimum præbuisti argumentum gratiarum actionibus, quas si minùs æquo egi, certè maximas & habeo & in perpetuum habebo. Congruum equidem fuerit vt ad tam nobilem Cathedram tuo beneficio euectus, gratis ego Te laudibus contra in cœlum eueherem. Sed sanè vereor ne ingenij mei culpa laudes tuas deterere videar: Operi tamen arduo non deerunt feliciora ingenia; abundè mihi fuerit, si qualemcumque, vbi se dabit occasio, in Tui gloriam ac celebritatem symbolam pro virili conferam. Quantum ego Tibi debeam, lubens agnosco & gratùs prædico, quippe qui Tuo fauore sedem amplissimam sim consecutus. Si tandem primaria vna Dignitate, quæ gloriæ nostræ fastigium est, decoratus vnquam sit qui primarius Parisijs fuit Professor, non equidem abesse a patria, sed felici sorte commutasse patriam sibi videbitur. Tunc Patris mei Guidonis Professoris Regij veram successorem, verum hæredem vt vt in alieno solo me iudicauerint omnes. Sed hæc, vt aiunt Poetæ, in Deorum genubus iacent,

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γόνασι κεῖται.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Ego interea conabor vt Spartam mihi commissam pro facultate mea exornem, & gratum animum erga meos benefactores exhibeam. Tu quoque interea, Illustriss. & Excellentiss. Domine, egregio tuo patrocinio perge rem litterariam illustrare, ac de genere humano bene mereri. Viue diu, viue felix, Reipublicæ honos nobilitatis Flos eximie, & si id adijci pateris, præsidium & dulce decus meum. Vale.

Illustrissimi & Excellentissimi Viri, Illustriss. & Geneross. Proscindice, Patres Sapientissimi, Auditores humanissimi.



PRiscorum hominum multos arte medendi claruisse, ac in Diuorum numerum relatos fuisse, posterorum memoriæ mandauit Romanorum eloquentissimus. Vnum ex ijs Æsculapium non illum quidem Apolline, aut Ioue prognatum, sed Arsippi & Arsinoæ filium veneranda finxit Antiquitas: Cui quòd alui purgationem, dentisque euulsionem primus adinuenisset, sacrorum omne genus, templa, sacerdotes, aras, sacrificia, eadem honorificentissimè decreuit. Amplum ipsi lucum, non procùl ab Epidaurio exstructum, commemorat Pausanias, *in Corint.* intra cuius ambitum mori quemquam aut nasci erat religio, eodem scilicet ritu qui in Delo insula seruabatur. Hac fabula nonne declarare voluerunt sapientes Græci, Medicorum opera non modò mortales à febribus, morbisque particularibus vindicari, sed & ad immortalitatem deduci; quasi nulla ampliùs tum generationis tum corruptionis adforet necesitas.

At heu sortem nostram! heu Vatum ignaras mentes! quid delubra iuuant? Hominem totum esse ex natiuitate morbum nonne dolores innumeri asserunt? Nonne ipsa testatur Natura, continuæ actionis repassionisque incapax? Ita profectò est, Auditores, nec aliud opinari sinit infaustum Iacobi Pighij fatum, immatura morte nuper erepti. Tanta cum celebritate, corporis humani fabricam, totum, vt ita dicam, orbem docere instituerat, tanta cum facundia, ignotas hactenus eius functiones, reconditaque Naturæ mysteria reuelauerat, vt perspicaces quantumuis Excellentissimos Moderatores diu tenuerit pudor, hærentes qualem ipsi sufficerent. Vnum te manebat, hic honos, Dominice Marchetis, qui gloriam à Pighio acceptam ampliare poteris, quique intermissum Theatri anatomici splendorem maiori luce restituere moliris.

Sed heu iterum! quis exhedram tuum, Eximie Marchete, ac vices implebit? Tales enim Dij talesque Heroes non suppetunt: Vacanti igitur prouinciæ hominem substituere decreuit prudentissimus Magistratus; non eum quidem, qualem aut muneris amplitudo, aut decessoris fama postularet, sed qualem Sors obtulit. Æquam-ne iniquam ve illam dixero, Auditores, quæ ad praxim medicam in hoc Archi-lyceo docendam, me promouet, ac sistit? Totum pudore commotum me cernitis, tanti Prædecessoris memoria pœnè pro-

ſtratum, perardui officij humeris meis impoſiti non ignarum, ac denique tot & tantorum Auditorum præſentia non tam excitatum, quàm percuſſum. Hoc vno vires meas quantumuis debiles recreari ſpes eſt, veſtrum ſcilicet omnium beneuolẽtia, quàm hactenus quominùs meritus fuiſſe fateor, eam maiori veſtra indulgentia ſumconſequutus.

Studio itaque Chirurgiæ parumper ſemoto, & nonniſi ſuis vſibus reſeruato, ad praxim Medicam, ſacræ artis partium vt difficillimam ſic periculoſiſſimam, accedamus cuius præcepta [mihi cum Galeno gloriari liceat, *l.3. de loc. aff. c.3.*] non ex libris ſolùm didiciſſe, ſed ex præſtantiſſimis in vnaquaqe ſecta Præceptoribus vſum fuiſſe, & triginta annorum exercitio confirmaſſe contigit. Ac primùm placet generalem artium diuiſionem ex Ariſtotele recenſere, quæ tam addiſcendi, quàm exercendi varietate longiſſimis ſeiunguntur intervallis. Viliſſimæ ideo cenſentur mechanicæ, quòd ſola exercitatione perdiſcantur, quodque ſolum fere corporis robur requirant. Aliæ mentis præterea requirunt acumen, à corporis viribus non omnino pendentes, vnde *liberalium* nomen ijs datum eſt, vt pictoriæ, & ſculptoriæ, quibus & ipſi Reges immortalitatem ſibi prorogari arbitrabantur, auctore Plinio, *l.14.c.1.* Earum tandem eſt genus tertium, ab ingenij dependens acumine, & exercitio, ad quod refertur Medicina, cæterarum ampliſſima, vtpote quæ nullos alios fines habet quàm mundus ipſe, ſuo ambitu res omnes comprehendens, cuiuſque addiſcendæ gratia, vitam breuem eſſe meritò conqueſtus eſt Hippocrates.

Ad ſua tamen capita reducitur quantumuis vaſta eius cognitio, priuſquam praxim oſtentet; è quibus huius autoritatem, dignitatem, & exiſtimationem multò maiorem eſſe quàm vulgus ſibi perſuadet manifeſtare animus eſt. Quid enim arti dignitatem, conciliare ſolet, præter operis difficultatem atque præſtantiam, ſubiecti nobilitatem, & beneficij amplitudinem? Et hæc tria Medico Practico apprimè conuenire, mea, ſi linguis faueritis, declarabit oratio.

Ac primùm quod ad operis difficultatem præſtantiamque attinet, nullus negauerit Medicinam ſua ſenſim ex vetuſtiſſimo ævo habuiſſe incrementa, nec niſi longa ſæculorum ſerie tot numeris abſolutam ad nos perueniſſe. Prima quippe curandis morbis, ijs ſcilicet qui ſub oculorum ſenſum cadentes, manuum operam admittunt, inſtituta eſt Chirurgia, omnium Medicinæ partium, teſte Platone, antiquiſſima, tumoribus, vulneribus, vlceribus, fracturis, & luxationibus apprimè neceſſaria, cuius auxilium ſingulis diebus ac vbique requiratur: Inde fit vt ipſi Barbari, rudes quantumuis ac ἀμῦσοι, & philoſophiæ oſores, eius vtilitate allecti Chirurgos nutriant, & honorent. Hanc Diæta proximè ſequitur cuius directioni res omnes non naturales commiſſæ ſunt. Timidos tyrones lateat hoc argumentum, ne tam immenſis ſtudijs territi, inertis vitæ delicias,
aut

aut Musas mansuetiores , aut ipsam τῶν μόνων solitudinem tantæ difficultati superandæ fortassis anteponant . Quotus hic diuersus aer examinandus est ? Quanta ciborum potuumque varietas ? Huc quippe reuocantur omnes volucres , quadrupedes , pisces , fructus, factitiorum seu compositorum alimentorum omne genus , vinorum , aquarumue naturæ innumeræ . Sed & laboris , seu exercitationum ratio habenda est, cuius solius inuestigatio totum hominem requireret, vt maximè sciat quietis pretium , quæ docente Celso , *l.5.c.26. ipsa sola optimum medicamentum est* . Somni necessitatem excretorum retentorumque ἀμετρίαν ac animi passiones nisi Medicus philosophica meditatione cognouerit , frustra de agitandis nostris operibus exercendaque praxi cogitet.

Sed neque hæc sufficiunt : Pharmaceuticam artem nisi calluerit , Practicus noster , qualem profitetur præstare non posset , & ad magistros artis , viros plerumque illiteratos , & parùm philosophos , addiscendi causa recurrere cogeretur . Qua arte , quæso , simplicibus medicamentis vti posset ille qui ea non nouit ? Qua arte morbos debellare tentaret , qui illorum facultates tum intensas tum refractas non haberet in numerato ? Qua demum arte fraudulentos homines in supponendis apud Magnates plebemque medicamentis exercitatos redargueret & coerceret ?

Pharmaciam plerique à Chymia disiungunt , operationum potiùs varietate quam obiecti aut finis differentia . Hanc ideo Practico nostro necessariam arbitramur , tum vt corpora concreta caloris beneficio ad purum efficacemque statum elaborando , & reducendo , Naturam intimè quantum fieri potest scrutetur , sicque suis ægrotantibus succurrat ; tum vt effrænatam fallendi libidinem non minori impudentia , quàm ignorantia grassantem , magno mortalium beneficio explodat , & confutet . Ea itaquè ipse possit eligere simplicia medicamenta , ex plantis , animalibus , & mineralibus petita ; eaque ita præparet aut præparari imperet , vt purum ab impuro , vtile ab inutili , saluis manentibus facultatibus , secernatur. Id me docuerunt clarissima Parisiensis scholæ lumina , viri verè Medici , nihil à Practico præscribendum esse , præcipuè si aliquantùm periculosum fuerit , quod ipse præparare non queat . Meæ erga Præceptores venerationi condonent qui hæc audiunt ; Ingenui quippe pudoris semper existimaui , cum Plinio , fateri per quos profeceris . Multas deinde compositiones nisi vsu monstrari posse , vt testatur experientia , sic præcipit Galenus , *l.1.de alim.fac.c.1.* Ἐκ βιβλίων μῆτε κυβερνήτην τινα γιγνόμενον γίγνεσθαι , μήτε ἄλλης τέχνης ἐργάτην. Ipse Hippocrates , quem semper ducem & magistrum imitandum sibi proponere debet Practicus , in præparandis medicamentis sæpè manum adhibuit ; sæpè & fidelissimi Crateuæ ope vsus est , quem

ἄριστον

18

ἄριστον ῥιζοτόμον non raró nuncupauit, adhibito præterea perhonorifico hoc elogio, τὸ δὲ χρῆμα τῶν βοτανῶν παρά σοι πολλάκις ἐθαύμασα. *Negotium rei herbariæ in te ſæpenumero miratus ſum.*

Quid opus eſt Anatomiæ neceſsitatem artis Mædicæ cultoribus inſinuare, quam ſuam facem & ſuum Solem omnes agnoſcunt. Vnde vt ad hiſtoriæ fidem Geographia prorſus neceſſaria eſt, ſic, inquit Fernelius. ad rem medicam, corporis humani deſcriptio pernoſcenda. Intellectus quidem multa conſequitur, corporis tamen organa ea ἀκριβείᾳ percipere ſolus nequit, quantam intuitus arripit; Vnde nonniſi vtriuſque ſenſus coniunctione, diuina Hygiea ſe nobis adorandam præbet. Quamobrem Galeno non ſimplex ſufficit partium humani corporis peritia, niſi hanc exercitatio crebra frequens que αὐτοψία corrobauerit ac conſummauerit: *Quomodo*, inquit ille, de conſtit. art. cap. 11. *Vitia & morbos partium corporis humani rectè curabit Medicus, niſi partes ipſas cognouerit?*

Artem non longam modò ſed infinitam me deſcribere conquerentes audire videor, quam tamen non ſine gloriolæ inſignibus plerique iuuenes exercent. Eos vno Celſi, in *præmio l. 5.* & Scribonij Largi axiomate, *cap.cc.* vt Herculis claua debellatos opinor, *Implicitas medicinæ partes inter ſe & connexas eſſe conſtat, vt nullomodo diduci ſine totius profeſſionis detrimento poſſint.* Nihil ſine magno Vita labore dedit mortalibus. Maximum tamen Iſocrates tum ſolatium tum incitamentum ſtudioſis tradit, docens *libenter diſcentem, multa etiam non difficulter diſcere?* ἐὰν εἶς φιλομαθὴς ἔσῃ καὶ πολυμαθής.

De hominis nobilitate quot & quanta ſunt quæ meditor? Ea tamen nunc ſilentio obuoluenda ſunt, quòd & paſſim in libris occurrant, & in omnium ore verſentur. Sufficiat id proferre, duabus naturis eſſentia multùm inter ſe diſparibus conſtare diuinum hoc animal, animo & corpore. Ille hominis forma eſt & perfectio; Nec enim *Tu is es quem forma iſta declarat*, inquit Cicero, *ſed animus, cuiuſque is eſt quiſque, non ea figura quæ digito demonſtratur.* Sed & corpus ipſum mirabile eſt, ſcilicet ad Dei omnipotentis ſimilitudinem effictum. Quantumuis in Naturæ ſolertiam inueſtigatum ſit, tanta in humani corporis fabrica cernitur, quantam nullus hactenus aſſecutus fuerit. Originem eius non ſecus ac finem arguunt: Lutum erat, inquiunt, quod à ſole τῦ μικροκόσμυ breui temporis ſpatio exſiccatum, in puluerem conuertetur, telluris inutile pondus. Siccine templum Dei irrident ingrati homines, ſuperbiſſimum ædificium? Perquirant eius commoda, latebras & ornamenta, nil niſi tanto Architecto dignum reperient. Putreſcet illud quidem, & fateor, ſed non ſecus ac germen, vt denuo viuat, vitaque non amplius peritura. Hæc tractent ſuo modo Theologi, nos verò neminem Auditorum eſſe opinantes, cuius præcordijs Chriſtiana fides non infixa ſit, ſtultam impiorum cauillationem non vlteriùs confutabimus cum Daui-

de

de censentes *psalm.8. Hominem paulo minorem Angelis, gloria & honore coronatum, & constitutum super opera manum Dei*. Quantum itaque Practicum nostrum decus manet, qui quod ex meliori luto confictum est, quod tam admirabile deprehenditur, quodque toti Naturæ imperat, conseruat ac restituit; O verè magnum opus, τῶν ἀγαθῶν καὶ θαυμασίων τέχνην, Opus immensum, nec satis perspectum! sed ad tertiam argumenti nostri partem properemus.

Amplitudinem beneficij à Practico conciliandi cognouerit qui vitæ vtilitates perlustrauerit: Vtilitates dico, cùm binas illas esse easque maximas intelligam. Prima vna est, Θεοῦ δῶρον qua sentimus, mouemur, intelligimus, ratiocinamur; quam animam veteres Philosophi censebant, causam effectumque confundentes, principiumque actionum omnium quas exiguo vitæ curriculo Natura circumscripsit. Illa ipsa quæ hominis gratia teste Plinio (*l.7.in proem.*) cuncta alia genuisse videtur. Nihil porrò illa fragilius, fugacius, inanius, vt bullæ symbolo declarata fuerit, πομφόλυξ ἄνθρωπος *Homo bulla*. Vitæ summa breuis, spem nos vetat inchoare longam. Altera illius suauitatem ostentat, non tantum ab omnibus animi curis corporisque doloribus liberæ & vacuæ, sed & innumeris voluptatibus conspersæ. Απαθείαν stoicorum hic non laudarem qui summam felicitatem in morborum priuatione consistere affirmabant: Felicem quippe eum esse non arbitror, qui infelix non est: Neque ab opposito, beatos opinabor *Epicuri de grege porcos*, ad cibum potum, & venerem vnicè natos, virtutis ac gloriæ nequaquam satagentes, qualem se profitebatur qui suo sepulchro inscribi curauerat. Ἔσθιε πῖνε, ἀφροδισίαζε τὰ δὲ ἄλλα οὐδέν. Quodque paucis expressit Poeta canens *quam totus homuncio nil est, Ergo viuamus dum licet esse benè*. Equidem vitam longam absque festiuitatibus optimè comparabat Pythagoras, longæ viæ absque diuersorijs: Quàm enim differunt, viuere & valere vita? Hanc egregiè Plutarchus fatale debitum censet à Maioribus nostris contractum, & à nobis persoluendum. Longiùs aut propiùs sors sua quemque manet. Præcipitatur ac fluit, properat cursu vita citato, & obrepit non intellecta senectus.

Omnes vna manet mors,
Et calcanda semel via lethi.

Nihil ergo sanitate præstantius Quis nunc tam ingratus esset, qui perpensis tot beneficijs à solo Medico Practico condonatis, illum pro custode vitæ sanitatisque non agnosceret, & amplissima SERVATORIS nomina earũ prorogatori denegaret? quemadmodũ antiquitus palam in vsu fuit Apollinem, Æsculapium, Hygeam, Bacchum, & ipsum Iouem, ΣΩΤΗΡΑΣ, nuncupare. Practicus enim verè sanitatis ciuium omnium cuiusque sint ordinis, sexus, ætatis, seruator est; qua detracta, quid potest gratum esse aut iucundum? Curat ille vt sit mens sana in corpore sano, quo vtroque maiorem felicitatis partem Sapientes comprehendunt:

Illud-

Illudque maximè curat vt vmbratilis & delicata vita alioquin instar folij desluens, & longa, & commoda, & iucunda transigatur, nullis erroribus sed solo fato terminanda. O grande Practici promeritum! O incomparabile munus! quod quamuis ipsum Deo similem, vt loquuntur Platonici ἰσόθεον efficiat, plerumque tamen aut citæ obliuioni traditur, aut minori quàm decet animo compensatur.

Causas tamen aliquas referre non pudebit, cur Medicus Practicus eam quam meretur existimationem, non consequatur. Familiæ obscuritas id aliquando præstat: Natalitijs enim & si Medicus non omnimode, sed doctrina & iudicio potissimum commendetur, is tamen si ex nobili aut ingenua honesta-ue familia prodierit, maius arti præbebit decus, maioremque autoritatem quàm si ex vili aut præcutita gente, ἐψόνομον, vietorem, fabrum, aut rabulam, se præbuerit. Vt enim pauci Anacharses è Scythia, paucique Cleanthes, sic pauciores è mancipijs aut abiecta hominum sorte euaserunt Philosophi. Quantum inhoneſtè & irreuerenter Numina tractent alij, tantùm & sibi turdorum more malefaciunt; vel cùm omnia Naturæ tradentes, eius autorem Deum O. M. non satis agnoscunt; vel cùm de Deo verba semper facientes, superstisioso modo, donum sanitatis mirificè personat; aut ad similia eiusmodi recurrentes, quasi Apollinem haberent in pugno, Naturæ leges eludunt, eiusq; beneficia aspernantur: Vel deniq; cùm omnia Fortunæ commissa Κατὰ Δάιμονα καὶ τύχlw πάντα τελεῖσθαι somniant. Nec eò secius vituperandi sunt qui sycophantijs diabolicisque calumnijs artis sanctitatem maculantes, nil aliud in mente voluere videntur, quàm vt Collegas disjiciant, ægritudines venentur, & plebi fumum vendant, lucri bonum odorem ex re qualibet censentes; Sed hęc ad diobolares Medicastros pertinent, non ad Medicum verè Practicum, τὸν ἄνδρα πραγματικὸν, quem probum, sanctum, sapientem, eruditum, prudentem, indeffessum, operumque quàm verborum studiosiorem esse desideramus.

DIXI.

Proxima die, morbos capitis in genere declarabimus & explicabimus.